

8. *In causa.*—Si petens rem ex una causa succumbit, ex alia causa petere poterit. *Vel sic:* petenti rem jure dominii, possessionem probare non sufficit.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. III.

Cap. unic.—*Causa.*—In causa beneficii delata, etiam per appellationem ad Curiam, utraque pars potest petitorium et possessorium intentare. Et ante causæ conclusionem potest spoliatus, suspenso petitorio suo vel adversarii, possessorium prosequi.

TIT. XIII.—DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

Cap. 1. *Licet.*—Adversus restitutionem petentem non est audiendus reus de proprietate opponens, nisi actore consentiente.

2. *Solicitè.*—Petenti restitutionem beneficii non obstat renunciatio facta post spoliationem, quia præsumitur non spontanea.— Additur *quia præsumitur non spontanea*, quoniam etsi probaretur spontanea, deberet ob stare talis exceptio vel renunciatio in beneficialibus. "

3. *Accepta.*—Petens restitutionem beneficii non auditur, etiamsi spoliationem probet, si probatur eum spontè illud beneficium prius resignasse.

4. *Audita.*—In interdicto de retinenda succumbit reus, ipsius adjuratione probata.

5. *In litteris.*—Petenti restitutionem beneficii quæstio institutionis non canonicæ referri non potest.

6. *Item.*—Non obstat exceptio criminis agenti interdicto *Unde vi:* vel *Quod vi, aut Clam.*

7. *Conquerente.*—Spoliatus etiam à Judice juris ordine prætermissis, ante omnia restituatur.— Nec obstat cap. *Cùm liberum* 6. de sepult., ubi Abbas spoliatus cadavere sui parochiani non statim restituitur, sed admittuntur et probantur exceptiones; in hac enim facti specie non erat prius restitutio faciendâ ad vitandam cadaveris vexationem, quæ contingere potuisset, si facta prius restitutione, in causa Abbas postea succubisset, cùm iterum exhumandum fuisset.— Nec cap. *Ad decimas* 2. hoc eod. tit. in 6., ubi statuitur spoliatus jure percipiendi decimas non restituendos, nisi prius probato justo titulo possessionis eas percipiendi, quia harum sola perceptio non tribuit quasi possessionem juris percipiendi; et ideo prius probandus est titulus ad justificandam quasi possessionem, ad quam quis petit restitui. "

8. *Ex transmissa.*—Restituitur conjux viro probanti desponsationem et copulam, et de ipsius impunitate caventi, nisi magna sit viri sævitia.

- 8 Honor. III. Ab. S. Cyprian. Torcet. Diac. et S. Mariæ de Venet. et S. Mariæ Ananr. Pap. Prior.
U. Clem. V. in Conc. Vien.
1 Greg. Mag. Constan. Mediol. Ep.
2 Alex. III. Wigorn. Ep.
3 Idem Decan. Lincon. et Ab. de Rieval.

- 4 Idem Wigorn. Ep. et R. Elien. Archid.
5 Idem Brix. Ep.
6 Idem Exon. Ep.
7 Idem Cantuar. Archiep.
8 Idem Albiens. et Belvac. Ep.

9. *Cùm venisset.*—Per solutionem pensionis rei donatæ factam donatario cum auctoritate donatoris, acquiritur illi donatario rei donatæ possessio; adeò quod si ab illa expellitur, per interdictum recuperandæ agere poterit.

10. *Ex conquestione.*—Si actore agente petitorio, reus super eadem re deducit possessorium, proceditur in solo possessorio, suspenso petitorio.

11. *Gravis.*—Violentus rem cum fructibus, etiam qui percipi potuissent, restituere, damna resarcire, et de injuriis satisfacere compellitur.

12. *Olim.*—Ingressus possessionem ignorante domino, ad quem pertinet, potest per ipsum dominum statim cùm sciverit, repelli etiam violentè, dummodò non excedat in modo, nec ex tali repulsione competit repulso contra dominum interdictum possessorium.

13. *Litteras.* Si contra petentem restitutionem conjugis opponitur consanguinitas in gradu prohibito, et offeruntur probationes paratæ, recepto ab opponente juramento de malitia, negabitur restitutio quoad totum, et fiet quoad reliqua: si verò probationes promptæ non sint, fiet plena restitutio, nisi sit magna viri sævitia.

14. *Ex parte.*—Per solam traductionem mulieris ad domum viri factam, non præcedentibus sponsalibus, vel invalidis, non acquiritur possessio: unde, ea recedente propria auctoritate, non competit restitutio.

15. *Cùm ad Sedem.*—Interdictum *Unde vi* non competit contra illum, qui non spoliavit, nec spoliari mandavit, nec spoliationem ratam habuit.

16. *Olim.*—Exceptio inopiæ, de qua constat, à clerico opposita impedit executionem sententiæ, etiam latæ in possessorio.

17. *Olim.*—Per excommunicationis probationem non probatur quasi possessio jurisdictionis, licet aliquibus diebus fuerit observata: ideo petens restitutionem, hoc solo probato succumbit.

18. *Sæpe.*—Decipiens scienter rem invasam à spoliatore, tenetur eam spoliato restituere, licet non probet dominium.— Vide Additiones meas hoc eodem tit. post. n. 104. "

19. *Pisanis.*—Occupans certum locum, in quo quis jura liberè possidebat, si per ipsius occupationem non potest possessor sua jura liberè possidere, sicut prius, conveniri potest possessorio pro libertate possidendi, et restitutio fieri non potest, nisi dimittat locum in pristina libertate.

IN SESTO.—Ibi tit. V.

Cap. 1. *Frequens.*—In civilibus non admittitur spoliationis exceptio facta ab alio, quàm ab actore. In criminalibus admittitur facta à tertio, dummodò sit de tota substantia, vel majori parte. Exceptio probari debet intra quindecim dies, aliàs fit condemnatio expensarum.—Excipiens de

- 9 Idem Exonien. ep. et Ab. de Beforden.
10 Luc. III. G. Archid. J. Archip. Turon., et Abaplecrio Canon.
11 Celest. III. (alii Alex. II.)
12 Innoc. III. Episc. et Capit. Terdon.
13 Idem Bituric. Archid.

- 14 Idem Volter. Ep.
15 Idem Archiep. Mediol., et Præposit. Canonie Petron. P. P.
16 Idem Bulgen. et Palatin. Ep.
17 Idem.
18 Idem in Conc. Later.
19 Greg. IX. Ep. Lucen.
1 Innoc. IV. in Conc. Lugd.

spoliatioe facta à tertio intra certum tempus à Judice statuendum, debet restitutionem petere; aliàs accusabitur, exceptione non obstante.—Agenti super rebus ecclesiasticis non obstat exceptio spoliatioe privatarum rerum, vel è converso.

2. *Ad decimas.*—Ecclesia, quæ petit restitutionem decimarum, quas se dicit intra parœciam alterius possedisse, non auditur, nisi probet possessionem legitimam.

TIT. XIV.—DE DOLO, ET CONTUMACIA

Cap. 1. *Ad hæc.*—Reus, qui mittendum in possessionem ad mandatum Judicis non admisit, non mulcabitur de canonica æquitate, si intra annum caveat stare juri.

2. *Ex litteris.*—Propter contumaciam rei potest Judex rem petitam sequestrare, et ipsum contumacem in expensis condemnare, quas propter ipsius contumaciam, vel dolosam exceptionem actor fecit.

3. *Causam.*—Actore contumace, testes recipi, et sententia ferri debet, etiam lite non contestata, reo instante.

4. *Prout.*—Si reus post litem contestatam est contumax, si aliàs liquet de causa, fertur definitiva sententia; si non liquet, actor in veram possessionem inducitur.

5. *Finem.*—Qui fundata intentione actoris exceptionem peremptoriam objicit, quam non probat in continenti, sed accipit inducias, si defecerit in probando, condemnatur in continenti, definitiva non expectata in expensis, ac solvere cogitur, quod si non potest, punietur in corpore secundum arbitrium Judicis.

6. *Cum dilecti.*—Citatus ad totam causam certo termino ad comparendum assignato, tenetur comparere in termino; et dato impedimento in termino, debet comparere quam citius potest post terminum; aliàs condemnabitur in expensis à tempore citationis emissæ.

7. *Cum olim.*—Sententia in causa beneficiâli non transit in rem judicatam respectu superioris, quominus possit de juribus partium inquirere: maximè quando sententia fuit lata contra absentem, licet contumaciter et indefensum.

8. *Veritatis.*—Si proceditur per viam inquisitionis contra absentem contumaciter, etiam lite non contestata, testes recipi possunt, et sententia definitiva ferri etiam per viam depositionis, si hoc meretur delictum.

9. *Contingit.*—Actor non admissus in possessionem sibi decretam per

2 Bonif. VIII.

1 Alex. III. Herforden. Episc.

2 Idem Ab. Verames. et Archid. Helien.

5 Idem Exon. et Wigor. Episc. et Ab. Herforden.

4 Urban. III. Priorib. de Nova Loca, et Vigor.

5 Innocent. III.

6 Idem Prænest. Episc. Ap. Sed. Leg. et Decan. Brinen.

7 Idem Armachan. et N. Casellen. Archiep. et N. Episc. Laomen.

8 Idem.

9 Idem in Cone. Later.

Judicem causa rei servandæ, vel ab ea expulsus per lapsum anni verus efficitur possessor.

10. *Venerabilis.*—Si reus non invenitur, sufficit publicè citationem ad Ecclesiam suam proponi.

IN SEXTO.—Ibi tit. VI.

1. *Actor.*—Actor contumax condemnatur in expensis: nec citatur ulterius ad suam petitionem reus, nisi caveat de veniendo et comparando.

2. *Eum qui.*—Judex appellansem et recedentem citare ulterius non tenetur, si vult in causa procedere, nisi forsitan appellationi renunciât.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. IV.

Cap. unic. *Si ante.*—Appellans ante definitivam, etiam à definitiva lata, eo absente citato, vel non, appellare potest, nisi prima appellatio fuerit frivola manifestè: quo casu non appellat, tanquam manifestus contumax.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. III.

Cap. unic. *Rem non novam.*—Citationes etiam extra dies solemnes publicè factæ de mandato Papæ in audientia Litterarum Apostolicarum, vel Papali palatio affixæ januis majoris Ecclesiæ loci, in quo Papa cum Curia sua degit, arctant citatum, ac si ad eum personaliter devenissent. Restrigitur tamen hæc Extravagans ad illos, qui impediunt, ne ad eos possit citatio pervenire, vel quorum domicilium tutò adiri non potest, ut cap. *Dudum*. 1. de Judic. in Clemen.

TIT. XV.—DE EO QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM CAUSA REI SERVANDÆ.

Cap. 1. *Constitutis.*—Missus in possessionem ex primo decreto in reali per lapsum anni, veram et incommutabilem illius rei possessionem acquirit, licet passus missionem habuerit intra annum voluntatem cautionem præstandi, quam tamen non deduxit ad effectum suo defectu.

2. *Cum sicut.*—Tempus annale non currit missionem passo, si intra illud cautionem Judicibus, vel alteri eorum aliis absentibus obtulit; licet per eos, sua per eum recepta non fuerit.

3. *Cum venissent.*—Si passus missionem repetens possessionem allegat se contumacem non fuisse, restituitur in pristinum statum, præstita cautione, et dilata condemnatione expensarum, quam evitat si postea constiterit eum non fuisse contumacem.

4. *Si adversarius.*—Contra absentem, qui non dimisit procuratorem, facta citatione domi, nullo defendente, fit missio.

10 Greg. IX. Archiep. Burdeg.

1 Innocent. IV.

2 Bonif. VIII.

U. Clem. V. in Conc. Vien.

U. Bonif. VIII.

1 Alex. III. Prior. et Fratrib. de Guisebnreh.

2 Clem. III. Episc. et Archid. Abruc.

5 Innoc. III. Urbis. et Senogal.

4 Greg. IX.

IN SEXTO.—Ibi tit. VII.

Cap. unic. *Eum qui.*—Quando agitur de beneficio Ecclesiastico, ob contumaciam rei non fit missio in possessionem; sed ad sententiam, lite non contestata, proceditur.

TIT. XVI.—UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR.

Cap. 1. *A memoria.*—Privilegium etiam à Principe impetratum, per quod privatur quis sine causæ cognitione, lite pendente, usu possessionis, tamquam subreptitium non valet; seu tanquam rationi obvium est revocandum.

2. *Laudabilem.*—Accusatus de adulterio non debet, lite pendente, privari possessione conjugali.—Nec obstat cap. *Litteras* 13. de restit. spoliati, ubi mota lite super validitate matrimonii ob oppositam impedimenti consanguinitatis exceptionem, denegatur restitutio conjugalis commixtionis, quia alter paratus erat probare in continenti talem exceptionem; ideoque ad vitandum periculum incestus denegata fuit restitutio.—Nec cap. *Cum locum* 14. de sponsalibus, ubi lite pendente uxor sequestratur, quia ibi agebatur de matrimonio tantum rato, ideoque non fuit acquisita possessio per illius consummationem.

3. *Ecclesia.*—Qui rem litigiosam alienavit, ita quod re recuperari nequeat, debet æquivalentem substituere in locum illius, quam alienare non poterit.

4. *Ecclesia.*—Idem dicit, quod in præcedenti.

5. *Dilectus.*—Lis decidenda est secundum jura existentia tempore controversiæ, non autem secundum privilegium impetratum, lite pendente, nisi de litis pendenti mentionem faciat.

IN SEXTO.—Ibi tit. VIII.

Cap. 1. *Dispendiis.*—Si ex duobus litigantibus electis alter decedat, renunciat, vel à prosecutione causæ excludatur, si lite pendente, cum reliquo fuerit alia electio facta, non tenet.

2. *Si ii.*—Si beneficiatus, contra quem super beneficio litigatur, cedit vel decedit, si alius lite pendente cum superstite fuerit electus, non valet electio; si verò aliqui, quorum intersit, ad defensionem litis velint admitti, in eo statu, in quo erat casu admittentur.—Hinc nata est regula 28. *Can-* cellariæ de subrogandis invicem collitigantibus, ut nullæ impetrationes valeant infra mensem, cum aliquem à Papa subrogari contigerit, dummodo collitigans intra mensem non intrusus fuerit, aut fraudulenter egerit impetrando beneficium senis, aut periculosè ægrotantis, eique litem movendo intentione subrogationis consequendæ; neque adversarius pacificè illud per triennium possederit. Intra hunc mensem gratia, vel

U. Innoc. IV.

- 1 Alex. III. Eborac. Archiep.
2 Cœles. III.
3 Innoc. III. Ab. et Convent, S. Sylvestr.

4 Idem.

- 5 Honor. III. Cancell. Cant., et A. Marese Canon. Paris.
1 Bonif. VIII.
2 Idem.

concessio super beneficio litigioso non valet alteri facta, quam colliganti.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. V.

Cap. 1. *Si duobus.*—Si duo litigantes super beneficio moriantur, sive uterque in Curia, vel solus possidens, vel neutro possidente, alter tantum, altero alibi moriente, ad Papam, et in conversis casibus ad Ordinarium spectat collatio, si ad alterum beneficium pertinebat. Si autem alter tantum moritur, si superstes vel alius, cujus intersit, litem persequitur, ex futuro eventu apparebit, ad quem collatio spectat.—In hoc casu declarat non habere locum cap. *Licet* 2. de Præb. in 6. et nota ut supra cap. *Si ii* 2. in 6.

2. *Cum lite.*—Lis dicitur pendere quoad hoc, ut nihil debeat innovari, cum citatio legitimè pervenit ad partem, vel per eam stetit, quo minus perveniret, cum tali expressione, quod potuit instrui super quo conveniatur.

TIT. XVII.—DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM ET FRUCTUUM.

Cap. 1. *Ad hoc.*—Res, in quam facta remissio, non debet sequestrari, etiam si missus inde fuerit violenter ejectus. *Vel sic.* Sequestrum factum loco missionis propter scandalum evitandum, revocari debet, oblata cautione, et restitutis expensis.

2. *Dilectus.*—Si missus in possessionem si causa custodiæ fructus dissipat, dissipati revocantur, et cum aliis sequestrantur.—Vide correctionem Elencho I. n. 48.

3. *Ab eo.*—Si reus possessor appellat à sententia contra eum lata, licet rei petita fructus sequestrantur, si dissipantur ab eo.—Vide correctionem Elencho I. n. 49.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. VI.

Cap. unic. *Ad compescendas.*—Si super beneficio contra ipsius possessorem, qui triennio non possedit in petitorio vel possessorio, una definitiva fertur in Curia, etiamsi nulla fore dicatur, ipsius beneficii sequestratio per loci ordinarium fieri debet, quam impediens, vel sequestratos fructus occupans, excommunicatus est; et si est de litigantibus, cadit à jure suo, et respicit pendentiæ.—Ex constit. Pii IV. *Sanctissimus* 26 Octob. 1560., Judices, lite pendente, sequestrare possunt fructus beneficiorum Sedi Apostol. reservatorum seu affectorum, et ordinaria vel alia auctoritate nulliter collatorum, adjiciendo pœnas contra litigantes.—Ex constit. S. Pii V. *Cordi.*, fructus beneficiorum, lite pendente, deponi debent apud personam à Judice eligendam, non obstantibus quibuscumque statutis disponentibus quod Capitula et canonici eos percipiant.

1 Clem. V. in Conc. Vien. Archiep.

2 Idem.

1 Innoc. III. Mediol. Archiep.

2 Honor. III. Pior. de Bechau. Decan. de Dolit, et F. Cancn. S.

Mariae de Hastings, Cisterc. Diac.

5 Greg IX.

U. Clem V. in Conc. Vien.

TIT. XVIII.—DE CONFESSIS.

Cap. 1. *Cum Monasterium.*—Ad solum dictum confitentis crimen proprium non est alteri infligenda pœna aliqua; infamato tamen est indicenda purgatio.—¹ In textu excipitur crimen læsæ majestatis. "

2. *Cum super.*—Si quis confitetur crimen incidenter in judicio, potest judex ordinarius, novum inchoando processum, illum punire pœna ordinaria.—² Ex constit. Pii IV. *Licet*, confessi crimen, aut probatissimis indicis torquendi carcerati non relaxantur inscio fisco, licet præstit, fuerit cautio: et ex constit. Sancti Pii V. *Cum sicut*, et *In confessis*, à carcere non relaxantur, nisi executioni sententiæ paruerint: nec confessi in causis criminalibus appellare possunt. "

3. *Ex parte.*—Confessio facta in jure per æconomum Ecclesiæ, nocet ipsi Ecclesiæ: potest tamen revocari, si ante finitum negotium doceatur per errorem facti emanasse.

IN SEXTO.—Ibi tit. IX.

Cap. 1. *Statuimus.*—Super facto negativo per partem improbabili, si Judici videbitur, est admittenda positio.

2. *Si post.*—Si reus jussus positionibus respondere recusat, vel si contumaciter recedit, habebuntur pro confessis: secus si prius quam sic jussus esset, contumax fuerat; nam tunc procedetur contra eum, ut in contumacem.

TIT. XIX.—DE PROBATIONIBUS.

Cap. 1. *Ex epistolæ.*—Reus actori sua propria instrumenta edere non tenetur.

2. *Sicut.*—Actor, qui plenè probavit, non debet compelli jurare.

3. *Ex litteris.*—In communi judicio probant actor et reus: et si pariter probant, reus absolvitur, nisi favorabilem causam foveat actor.

4. *Proposuiti.*—Non creditur marito asserenti etiam cum juramento, uxorem se cognovisse, si uxor per matronas attestantes per ipsius corporis aspectum, probat contrarium.

5. *Tertio.*—Singulares de universitate possunt ad commodum universitatis reprobare instrumentum falsò confectum nomine universitatis.

6. *Juravit.*—Ubi agitur de matrimonio contrahendo, probato impedimento, et publicatis attestationibus, alii testes super defectu impedimenti admittendi non sunt.—³ Nec obstat cap. *Series* 25. cap. *Ex tenore* 35. et cap. *Cum in tua* 44 de Test.; nec cap. *Sicut* 22 de sponsal., ubi disponitur,

- | | |
|---------------------------------------|-----------------------------------|
| 1 Clem. III. | 2 Alex. III. |
| 2 Innoc. III. Canon. Bethlehem. | 5 Luc. III. Decan. Cistren. |
| 3 Greg. IX. B. Judici Viterbien. | 4 Greg. VIII. Præposit. S. Catal. |
| 1 Innoc. IV. in Conc. Lugdunen. | et Archiep. Casæ Majoris. |
| 2 Bonif. VIII. | 3 Celest. III. |
| 1 Greg. Mag. Rechar. Regi Wisigothor. | 6 Clem. III. Aquilari Episc. |

etiam publicatis attestationibus testes admitti posse, cum agitur de causa matrimoniali; nam hic, ut ait Cujac., unus tantum testis afferebatur ad probandum non adesse impedimentum contra probationem jam factam de illius impedimenti existentia, ideoque non debuit admitti, cum ex ejus depositione parum aut nihil probari potuisset. Et ceteroquin agebatur non de matrimonio dissolvendo, sed tantum de non contrahendo, ut ex Glos. ultima in hoc eod. cap.—Quoad gradus prohibitos hic statutos pro matrimonio contrahendo, vide correctionem Elencho f. n. 20. "

7. *Post cessionem.*—Si per litteras ordinarii probatur quis excommunicatus, à procuratore repellitur.

8. *In presentia.*—Fideicommissum relictum sub conditione, si sine liberis rogatus decedat, deficit, si ipse religionem profiteatur.—⁴ Vide Fagnan. hoc eod. cap., et correctionem Elencho II. num. 50. "

9. *Licet.*—Si actor, et reus in interdicto retinendæ possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo maximè justificatam, vel meliores probationes respectu possessionis adduxit.

10. *Per tuas.*—Si qui nominent aliquem filium, et ita communiter reputatur, non creditur postea alteri eorum juranti contrarium.

11. *Quoniam.*—Judex debet habere notarium, vel duos viros idoneos, qui scribant acta judicii; aliàs si quid difficultatis emerit, punietur, nec credetur ei super processu, nisi quantum ex actis, vel alias ex legitimis documentis constabit.—⁵ Notarii quacumque auctoritate creati ex Trident. sess. 22. cap. 40 de reform., possunt examinari super peritia ab Episcopis, et insufficientes reperti repelli et suspendi ab exercitio officii in causis et negotiis ecclesiasticis, appellatione remota. "

12. *Ad nostram.*—Si probari potest reum deliquisse, ejus probatio, quòd non deliquerit, non est admittenda.

13. *Cum causam.*—Fines diœcesum probantur per libros antiquos, adminicula, testes et famam.

14. *Causam.*—Possunt reprobari matronæ, per quas virginitas probatur, ut melius constet de probatione.

15. *Cum bonæ.*—Acta etiam litis ordinatoria facta coram primis Judicibus, fidem faciunt coram secundis.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. VII.

Cap. unic. *Litteris.*—Verba litterarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plenè probant, si super illis gratia vel intentio Papæ fundantur.—⁶ Declaratur per hanc decretalem cap. *Si Papa* 40 de privil. in 6. "

- | | |
|---|---|
| 7 Innoc. III. Episc. Paristen. et R. de Corcion. Conon. Novion. | 15 Idem Haurien. et Lamec. Episc. et Abb. de Palumbar. Brachar. Diac. |
| 8 Idem Abb. et Convent. Gasemar. | 14 Idem Episc. et Archid. Senen. |
| 9 Idem Arimin. Episc. | 15 Greg. IX. Præpos. S. Mariæ Magdeburg. et Decan. Misnen. |
| 10 Idem Triburt. Episc. | U. Clem. V. in Conc. Vien. |
| 11 Idem in Conc. Later. | |
| 12 Honor. III. Archiep. Lundæ. etc. | |

TIT. XX.—DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Cap. 1. *Placuit.*—Testes pretio conducti non sunt idonei, ac nemo testimonium dicat, nisi jejunos (*intellige de honestate.*)

2. *In nomine.*—Nulla est receptio testium facta contra non citatum.

3. *Quoniam.*—Mulier testificatur contra Clericum, cum de crimine agitur. Si sit socia criminis, docet Cujac. hoc eod. cap. admitti ejus testimonium, sed non esse ei præstandam fidem.

4. *In omni.*—Ubi agitur ad correctionem de peccato impediendo, principalis persona admittitur in testem.

5. *Quoties.*—Dicit quales esse, et qualiter jurare debeant, qui super consanguinitate deponunt.

6. *Insuper.*—Prælati, et clerici, qui causam Ecclesiæ non procurant, testificari possunt in ea.

7. *Ex parte.*—Si probatio exceptionis oppositæ contra testem productum non admittitur, autem quam dictus testis recipiatur, in casu, in quo admitti debuit, licet appellatur.

8. *Si qui.*—Judex mittere debet examinatore discretum ad testes recipiendos, qui ad eum commodè venire non possunt.

9. *Sicut.*—Retractanda est sententia, si constat eam fuisse latam ad dictum correptorum testium.

10. *Veniens.*—Socius criminis, et muneris non testificatur etiam in crimine simoniæ; et unius testimonium non sufficit ad condemnationem.

11. *Causam.*—Attestationes in uno judicio receptæ fidem faciunt in eadem causa, et inter easdem personas coram alio iudice.

12. *Cum nuncius.*—Clerici non sunt à ferendo testimonio in causa Ecclesiæ suæ sine rationabili causa repellendi.

13. *Super.*—Crimen nunc probatum repellit testem; aliàs de illo crimine non damnatum.

14. *De cætero.*—Laicus in criminali non testificatur contra clericum. accusat tamen pro sua, vel suorum injuria.

15. *In causis.*—In causis ecclesiasticis et civilibus possunt fieri tres productiones testium; quarta autem non admittitur absque solemnitate legali, et super dictis testium post publicationem ipsorum potest publice disputari.

- | | |
|---|---|
| 1 Ex Gonc. Matiem. | 8 Alex. III. Exon. Episc. |
| 2 Greg. Jo. Defens. eunti in Hisp. | 9 Idem Belvac. Episc. |
| 5 (Apud. Gonzal. incip. <i>Quaedam</i>) | 40 Idem Athen. Archiep. |
| Idem Sabino Desensor. Sardin. | 11 Idem Caprario Archiep. et Ab. S. Lucie, et Prior. S. Cruc. |
| 4 Paschal. Pap. | 12 Idem R. Cantuar. Archiep. et S. Wigoren. Ep. |
| 5 Eug. III. | 15 Idem Cantuar. Archiep. |
| 6 Idem Priori, et Frat. SS. Trinit. in Angl. | 14 Idem Saler. Archiep. |
| 7 Idem (alii Luc. III) R. Herford. Episc., et Ab. Sard. | 15 Idem eidem. |

16. *Cum tu.*—Si quis probat actum gestum post appellationem, et adversarius probat quod antè, præfertur prima probatio, et actus judicatur non tenere, nisi secundus probet, quod antè omnem appellationem.

17. *Fraternitatis.*—In causa appellationis super novis capitulis tantum testes novi et veteres producuntur, juramento secundum morem prius recepto.

18. *Intimavit.*—Qui juravit testimonium non dicere, testificari compellitur, si testificationes publicatæ non sunt.

19. *Causam.*—Publicatio, vel renunciatio testium in certis capitulis non præjudicat volenti testes producere in aliis.

20. *Personas.*—A testimonio repellitur simili morbo laborans.

21. *Judei.*—Christianus contra judæum in testem admittitur.

22. *Super.*—Testimonium matris est suspectum, ubi filia petit in virum aliquem se majorem, et ad dictum solius matris de impedimento deponentis impeditur matrimonium, sed contractum non dissolvitur.

23. *Licet.*—Ad decisionem causæ maximè pro parte judæi, non sufficit regulariter minus testimonium, quam duorum probatæ vitæ et laudabilis conversationis.

24. *In litteris.*—Non sunt idonei testes, quos actor de familia sua produxit.

25. *Cum venisset.*—Donec attestations fuerint publicatæ, et eis renunciatum, produci possunt testes; postea verò non super eodem capitulo, sed super alio sic.

26. *Series.*—Potest reus producere testes ad probandum contrarium ejus, quod actor probavit, si publicatio attestationum non est facta, consuetudine contraria non obstante.

27. *Præterea.*—Carnalis copula probatur per conveniens testimonium de visu; idem in testimonio auditus, quod adminicula et fama coadjuvant.

28. *Cum à nobis.*—Unius iudicis verbo non creditur; scripturæ verò ejus per testes reprobari possunt.

29. *De testibus.* Testi super dilatoria inducto non creditur super principali, nec cogitur deponere; secus si super peremptoria; tunc enim cogi potest, ut juret deponere super toto.

30. *Constitutus.*—Dicta testium non sunt ad petitionem tertii publicanda, et is, qui produxit testes coram certis iudicibus non potest ad eundem effectum coram iudicibus aliis illos producere, sed illorum attestations debet esse contentus.

- | | |
|--|--|
| 16 Idem Præp. et Canon. Ebrunden. Eccl. | 24 Idem Firm. Ep. |
| 17 Idem Placen. Ep. | 25 Urb. III. Ab. De Rufert. et Ostren. et Prior. De Torgurn. |
| 18 Idem Exon. Episc. | 26 Clem III. |
| 19 Idem Ab. et Fratib. S. Mich. de Matura. | 27 Cælest. III. |
| 20 Idem Norwic. Ep. | 28 Innoc. III. Consul. e. Popul. Bavenen. |
| 21 Idem in Conc. Later. | 29 Idem Tyren. Archiep. |
| 22 Alex. III. Marco Card. | 30 Idem Helien. et Castren. Episc. |
| 25 Idem. | |

31. *Præsentium*.—Publicatis attestacionibus non opponitur in personas testium, nisi excipiens juraverit, se ex malitia non opponere; vel si ante publicationem id fuerit protestatus, aut ostenderit, quod post publicationem sciverit, quod objecit.

32. *In nostra*.—Si actoris, et rei testes contraria deponunt, fidem sibi non derogant; sed prævalent digniores et verisimiliora deponentes; et si in ceteris est disparitas, præfertur numerus.

33. *Tam litteris*.—Ad probanda impedimenta electi laici, et fœminæ admittuntur, et testes de auditu et fama sufficienter non probant.

34. *Cùm olim*.—In causa liberali contra contumacem, etiam lite non contestata, testes recipi possunt.

35. *Ex tenore*.—Publicatis attestacionibus admittitur adversarius ad probandum contrarium, si ante publicationem super hac probatione contraria instrui non potuit.

36. *Significaverunt*.—Indulgenda est in causa quarta productio testium petita cum solemnitate legali, causa legitima non refragante; aliàs legitimè appellatur.

37. *Cùm causam*.—Diligenter examinandi sunt testes, et puniendi qui eos impediunt, et ipsorum testium multitudo est per Judicem refrenanda.

38. *Veniens*.—Attestaciones receptæ in summario fidem non faciunt in plenario judicio, et illarum publicatione non obstante, iidem vel alii testes super eisdem capitulis recipi possunt.

39. *Tuis*.—Religiosi etiam ad testificandum non admittuntur absque juramento, nisi à partibus remittatur.

40. *Dilecto*.—Delegatus necessarius in testem removetur à judicando, et alius subrogatur.

41. *Significavit*.—Ne probationis copia pereat, citato adversario, recipiuntur et publicantur testes, quos reus induxit.

42. *Cum causa*.—Si materia antiqui capituli repetitur aliquo addito, quod subicitur necessitati probandi, possunt testes etiam antiqui, publicatis attestacionibus, produci.

43. *Albericus*.—Recipiuntur et publicantur testes, qui interfuerunt sententiæ, ubi per scripturam de sententiâ non apparet.

44. *Cùm in tua*.—Publicatis attestacionibus possunt produci testes super eodem articulo, vel directè contrario, qui priùs fuerunt producti in judicio summario, seu extra judicium.—Testus loquitur de causa matrimoniali, ubi post matrimonium jam contractum, eùm de illius invaliditate

51 Idem.

52 Idem Lund., et Halien. Episc.

53 Idem Priori S. Fridiani Lucan., et G. Canon. Pisan.

54 Idem Dumellien. Ep. et Decan. et Prior. S. Trinit. Eborat.

55 Idem Prior. de Bulent. et J. Rect. Eccl. De Borell.

56 Idem Priori S. Victor.

57 Idem Placent. Episc.

58 Idem Novem. Font., et Casæ Dei Ab. Claromonten. Diac.

59 Idem Bisun. Archiep.

40 Idem Atrebat. Episc., et De Dun., et Ursi Ab.

41 Idem Judici Sabinæ.

42 Idem Ep. et Archid. Urbisveter.

43 Idem Archiep. et Archid. Raven.

44 Idem Ep. Belvac.

fuerit à quibusdam actum, denuò ad ejusdem validitatem firmandam examinati fuerunt testes, qui antea illud contrahi posse deposuerunt."

45. *Constitutis*.—Excommunicari possunt, qui partem impediunt in testibus producendis, et denunciandi sunt testes non teneri juramento de veritate non dicenda; et si consanguinei impediunt testes actoris de veritate non dicenda, punitur reus, de cujus voluntate hoc fieri præsumitur.

46. *Constitutis*.—Qui testificata non didicit, nec renunciavit testibus producendis super antiquis articulis seu capitulis, testes etiam aliàs productos producere potest.

47. *Licet*.—Ad probandum in causa matrimoniali consanguinitatem, non admittitur testimonium de auditu, nisi testes fide digni juraverint se non odio, amore, timore, vel commodo proprio de ea deponere; ac nisi demonstrent personas expressis nominibus, seu demonstratione vel circumloquutione sufficienti, et clarè aperiant singulos gradus ab utroque latere: jurent insuper id se accepisse à suis majoribus, et credere ità se rem habere: itemque jurent se vidisse personas pro conjunctis se gessisse.

48. *Per tuas*.—Post publicationem ad petitionem producentis, interrogari non debent testes, nisi quando dolo, vel negligentia examinerum super omnibus capitulis interrogati non fuerunt.

49. *Licet*.—Testes probatorios, et reprobatórios probatoriorum reprobare licet, sed reprobatórios reprobatórios non licet.

50. *Præsentata*.—Attestaciones receptæ per arbitrum fidem faciunt in judicio, si testes mortui sunt; si vivunt, est in actione illius, contra quem testes producti sunt, an velit attestaciones recipere, an testes de novo deponere. Et adde etiam si attestaciones publicatæ sunt.

51. *Nuper*.—Non creditur testi, etiam Religioso, qui sine juramento deponit.

52. *Venerabili*.—Diligenter et singillatim examinandi sunt testes: etiam si agatur de vita et miraculis alicujus canonizandi.

53. *Cùm clamor*.—Iterùm examinandus est testis, qui obscure deposuit ex Judicis officio.

54. *Testimonium*.—Perseverans in crimine, etiam in civili, repellitur à testimonio: emendatus verò non infamis admittitur in civili, et etiam criminali mota civiliter.—Fallit in perjuro, qui in criminali repellitur."

55. *Ultra*.—Quarta productio non est danda sine solemnitate legali, de qua hic.

56. *Non debet*.—Accusatus criminaliter non admittitur in testem con-

45 Idem Neapol. Archiep.

46 Idem Magdeburg. Archiep. etc.

47 Idem in Conc. Later.

48 Honor. III. Præposit. Malinsn. Firman. Diac.

49 Idem. Vallisoleti. et S. Mariæ Ab.

Palent. et Segobien. Diac. et R.

Archid. Oxom.

50 Idem Præposit. et Gafrido, et Ri-

char. De Lauduno Gan. Remen.

51 Idem Parmen. Episc.

52 Idem Corosopit. et Trecorem. Ep.

et Ab. S. Cruc. Camparell. Corosopit. Diac.

53 Greg. IX.

54 Idem.

55 Idem.

56 Idem.